Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8457
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

eius. Scitis enim fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum. et tardus ad iram. Ira enim viri iusticiam dei non operatur. Propter quod abicientes omnem immundiciam et abundantiam malicie. in mansuetudine suscipite insitum verbum. quod potest salvare animas vestras. Alleluia. In die resurrectionis mee dicit dominus precedam vos in galileam. Alleluia. Vado ad eum qui misit me et nemo ex vobis interrogat me quo vadis. Secundum

In illo tempore: d. i. d. s. iohannem. Vado ad eum qui me misit; et nemo ex vobis interrogat me quo vadis. Sed quia hec locutus sum vobis; tristicia implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis; expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero; mittam eum ad vos. Et cum venerit ille arguet mundum de peccato et de iusticia et de iudicio. De peccato quidem; quia non crediderunt in me. De iusticia vero; quia ad patrem vado; et iam non videbitis me. De iudicio autem; quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille spiritus veritatis; docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso; sed quecunque audiet loquetur, et que ventura sunt annunciabit vobis. Ille me clarificabit; quia de meo accipiet, et annunciabit vobis. Offertorium.

Iubilate deo universa terra iubilate deo universa terra psalmum dicite nomini eius venite et audite et narrabo vobis omnes qui timetis deum quanta fecit dominus anime mee alleluia.

Deus qui nos per. Secreta. huius sacrificii veneranda commercia unius summeque divinitatis participes efficis. presta quesumus; ut sicut tuam cognoscimus veritatem, sic eam